

John Leland
Commentarii in Cygneam cantionem
London
1545

KYKNEION
ASMA.
Cygnea cantio.

AVTORE IOANNE
LELANDO ANTI=
QVARIO.

Londini.
M. D. XLV.

<part 2>

COMMENTA
RII IN CYGNEAM CAN=
TIONEM INDICES BRITAN=
nicæ antiquitatis locupletissimi.
Autore Ioanne Lelando
Antiquario.

<sig C2v>

... Vidi etiam ossa gigantea
Dori Cantiorum, Sturoduni Durotrigum, Londini
quoque in cœmeterio Paulino. ...

...

<E3v> <Deal>

Dela Saxonice, ut ego arbitror, Dale. Locus est in
littore Cantiano inter Dorin, & Rutupinum urbes Ro
manis cognitissimas, ubi solum humile, & subsidens
descendentibus e nauibus facilem in insulam adi=
tum præbet. Fama publica est in promontorio
Cantiano Iulium Cæsarem a portus Durensis adi=
tu prohibitum, hic in terram loco oportuno des=
cendisse una cum copiis suis, & castra in spatio=
sa illa planitie, cui nunc nomen Barendunia, po=

<E4r>

suisse. Neque his dissimilia referunt chronica quæ
ego aliquando legi de rebus Dori gestis.

...

<E4v> <river Darenth>

Derentus flu. Angl. Derente. corrupte, duabus li=
teris mediis sublatis, Derte. Coniectura est quorum=
dam & *probabili hunc flu. olim appellatum fuisse

*<r. 'probabilis'>

<F1r>

Dorguin, alias Dorguent Britannico uocabulo, quod
Latine aquam lucidam, & perspicuam significat.
Facilis mihi quidem uidetur lapsus a Dorvvente in
Derente. Oritur hic flu. Titesegæ, quæ Regnorum
in sinibus sita est uilla. Spectabilis autem est Craii,
& Derenti confluentia in ipso Derenti uado. Origo
Craii cernitur Dorpenduni uulgo Orpington: quod
nomen Britannicum Aquæ caput montanæ Latine

exprimit, quasi ipsos fontes, et originem flu. signifi= cans. Loca non obscura alluit, & tandem Derenti uadum uicum celebrem attingens, Derenti petit alueum, quo loco uiatoribus pene peruius est. Nuper mœstus cœnobium uirginum Doruenta cingebat, opus Ead= ueardi a Gulielmo Magno regis Angliæ eius appel lationis tertii. Nunc lætissimus palatiolum Henrici octauæ regis, opus undecunque splendidum, admira tur, amat, colit. Paulo inferius Doruenta pleno al= ueo Tamesim fluuiorum regem æstum marinum pa tientem ingreditur.

...

<F1v> <Dover>

Doris, siue Durus urbs fama celeberrima in ipso promontorio Cantiano, quam nostra ætas Douer ap pellat, unde ad Morinos transitus, at, ut ego conio= cio, non breuissimus. Est autem breuissimus, ut rerum nauticarum peritissimi pronunciant, ab Hithino por

<F2r>

tu, qui uulgo Hive, ad Gessoriacum urbem Mo= rinorum, nunc Bononiam, quamuis alii aliter som= nient, indubie dictam. Sed nec interim Bononiæ no= men recens admodum. Ammianus Marcellinus, qui Cæsarum res gestas scripsit, huius meminit, sed Bon nam, ni codex mendosus, subinde appellauit. Do= ris originem traxit ab 'hydōr' Græco uocabulo. Bri= tanni etenim, detruncata ypsilon litera, aquam sua lingua Dor, subinde et Doure, auctis duabus lite= rulis, uocabant. Neque aliud quicquam est Douer, si R. suo loco reponas. At an fluuiolus qui urbem allambit, Dori, siue Duri nomen antiquitus retinue rit, non temere affirmo. Illud adfirmare possum, bo= nam partem urbium Cantii a Dour Britannico uoca= bulo nomenclaturam accepisse. Sunt argumento, & quidem manifesto, Durobreuum, quod nunc Hro= fecester, Durouernum uulgo Cantevarebyri, id est Cantiorum curia, & Doris urbs quæ modo Do= uer dicitur. Tradunt annales Dorensis cœnobii Ar uiragum Britannorum Regem arcem pene inexpug nabilem prope urbem in montis crepidine posuisse. De hoc rege sic scribit Iuuenalis poeta satyra quin= ta, dum Neroni fœde adulatur.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus.

Erat tunc temporis Dori portus nauibus percom= modus instar lunæ, cornibus in orbem pene concre tis. Sed tempus edax rerum, procellæ, uenti deni= que fluctuum refluorum uiolentia, ita utrinque ue= teris portus cornua concusserunt, ut ablati illis apertum littus uel urbis mœnia attingat. Hinc fit

<F2v> <Rochester>

ut ingens calculorum uis æstus impulsu aggeratur. Incredibile quidem dictu, quantum thesauri, ex= hauserit Henricus Octauus Rex potentissimus, dum studet stationem, & portum commodum classi suæ hic constituere. Si quis uero nunc contenderet portum hic olim non fuisse, Antonini Itinerarium non contemnendum

illi obicerem. Illic enim portus Dubris, nomine tamen corrupto, meminit. Nec interim Rutupinum aut Limenicum portum silentio obscurauit. Vnde colligo hos tantum tres portus apud Cantios antiquitus fuisse celebres. Referunt & idem annales Lucium regem Britannorum Christianum, ecclesiam Seruatori suo in Durensi Castro consecrasse. Eadbaldus Cantiorum Princeps Ethelberti Magni filius, consilio Laurentii archiepiscopi Durouernensis, Canonicorum in eodem castro collegium instituit, quos postea Vitredus Rex Cantiorum alio transtulit, uidelicet in uicinam urbem, Fano Martini magnifico opere in eos usus exstructo, quod uel hodie desolatum insignem præ se fert, uel foro medio, antiquitatem. Sed manum de tabula. Alibi de his rebus fusius dicemus.

Dorobreuum, alias Durobreuum, cuius mentio est semel, atque iterum apud Antoninum, urbs sita est in ripa Vagæ fluminis, qui modo Medevvege dicitur, media pene uia, qua itur a Londino Dorouernum. Saxones hanc postea a Hrof, uiro quodam primario, et urbis Domino, Hrofcester appellabant. Huius quoque appellationis Beda. cap. 3. libri. 3. historiæ Anglicæ meminit. Nomen etiam Hrofi adhuc uicit in quadam Cantiorum familia. Paulinus episcopus Durobreuensis fuit, & secundus, si recte com-

<F3r> <Canterbury>

puto, Ithamarus, cuius cum literas, tum uitam colaudat Beda. 13 cap. 3. libri historiæ suæ. Multas hæc pertulit urbs calamitates, et belli, et incendii. Ethelredus Rex Angliæ infensus Cantii, urbem uariis adflixit modis, et Canonicos Fani Andreæ fugauit, qui tamen postea suo iuri restituti sunt. Gundulphus Cado mensis, episcopus Rofensis Canonicos expulit, ac monachos monachus induxit, ut apparet ex Eadmeri historia. Lugebat longo tempore Rofa ponte aut rupto, aut non confecto. Robertus Collinus, qui uulgo Knolles Gallomastix ille, miseratus urbis solitudinem, magnis ausis uiolentissimum Vagæ fluminis gurgitem uicit, iactis noui pontis fundamentis.

Dorouernum alias Durouernum Ptolemæo Daruenum emporium totius Cantii illius, teste Cæsare, humanissimi emporium longe frequentissimum, & Romanorum aliquando in Britanniam uenientium palatium, a Duroflu. uicino, qui nunc Sturus dicitur, quantum colligere possum, nomen accepit, seruauitque inter eruditos. Syluester Gyraldus Meneuensis hæc refert. 2. Distinctum libro: Dorobernia a Dour Britannico uocabulo, quod aquam significat, quoniam aquis abundat. Hactenus ille. Sed uulgus postea urbem Cantewwarbyri, id est Cantiorum curiam, appellauit. Britanni, Romanique hic templum posuerunt Christo Seruatori sacrum, cuius gloria Saxonibus paganis late Cantium occupantibus defloruit, & postea, Ethelberto Rege ad Christum, Augustino Romano concionante, conuerso, refluoruit. Calamitates non paucas bello Regulorum Angliæ intestino passa est hæc ciuitas. At ea longe maxima fuit, cum Dani, regnante Ethelredo Principe infortunatissimo, urbe capta, omnia ui-

<F3v>

cede, flammis confunderent. Osbernus Præcentor Durouernensis in elegantissimo libello de uita Eal phegi archiepiscopi Cantiorum, huius nefandæ cladis abunde meminit. Houedenus etiam historiographus hanc tragœdiam tam aperte, & lucide ob oculos lectoris ponit, ut hinc cuius pio facile lachrimas excutiat. Lanfrancus Ligur beneficio Gulielmi Magni archiepiscopus urbem Cantiorum, & Fanum Seruatoris utcunque restituit. At interim pars magna mœnium diruta iacebat. Simon Sudocurianus archiepiscopus homo pius, at impie a seditiosis securi percussus, maximis sumptibus mœnia, quæ partim occidentem, partim boream spectant refecit. Cætera huius urbis cum monumenta, tum facta illustria ab eius alumnis scriptoribus fidelissimis, uidelicet Eadmero, & Geruasio, monachis Fani Seruatoris, ac Thoma Spottæo, & Gulielmo Thornæo Fani Augustiniani monachis sunt quærenda.

...

<G2r>

... Illud interim notandum, quod Saxones plerunque mutabant Dour Britannicum in Stour. Id quod tum in hoc fluuii nomine, tum etiam in eo, qui Durouernum Cantiorum alluit factum: quo loco si a plebe rogaueris, quod fluuio nomen sit, Stour, non Dour respondebunt. ...

...

<H2v> <Gravesend>

Greua, uulgo Greuesende, Latine Prætorius limes. Greue etenim Saxonice prætorem significat. Vnde Portegreue, Præfectus portus. Burgegreue prætor, uel præfectus oppidi.

...

<H4v>

... Sabulouicum, uulgo Sandevviche.

...

<I2r>

... Ab eo tempore sensim decreuit Anglorum felicitas. Deus ipse tanti sceleris tandem ultor erat. Pessima interiit pessimus Polus morte, detruncato in littore Dorensi capite. Poli genus omne concidit. Hunfridi fama, eruditio, fides, gloria etiam florent, perpetuoque florebut.

...

<I3r>

Itius portus, alias Iccius, & Icius de quo Cæsar in commentariis, nunc Calice. De portu ut non dubito, ita facile non possum adduci ut credam hunc esse locum, quem Latini autores Gessoriacum appellant. Beatus Rhenanus liquido probat ex antiquissima charta militari Gessoriacum eam esse urbem, quæ nunc Bononia dicitur. Vnde breuissimus est in Britanniam traiectus: Id quod periti rei nauticæ adfir-

mant. Quanquam nuper accepi a Dori ad portum
Icium breuissimum esse transitum, quod tamen non
temere adfirmo. . . .

...

<K4r> <river Rother>

Limenus flu. Britannice Limene. Refert hoc no=
men originem Græcam, quod pleno defluens alueo por=
tum efficiat. Est enim portus, littus, sinus maris Græ=
cis 'limēn'. Eadbertus rex Cantiorum Limeni meminit
in quadam donatione facta. anno D. 741. Chronica Fa=
ni Neoti de Limeno sic loquuntur. Limenus fluuius
currit de sylua magna, quæ uocatur Andredes=

<K4v>

vvalde. Habet autem ea in longitudine ab oriente
in occidentem miliaria. 120. & eo amplius, in latitu=
dine autem triginta. Graius in opere cui titulus
Scalechronicon Andredesuualde meminit, & Sige=
berti regis Visisaxonum ab upilione ibidem inter=
fecti. Henricus Venantodunensis quarto libro histo=
riæ de regibus Anglorum hæc refert, ubi de Danis,
fretus autoritate Mariani, agit: Postea rediit in An=
gliam ille magnus exercitus cum omnibus rebus suis
ad portum Limene cum 250. nauibus, qui portus est
in orientali parte Cantia, iuxta magnum nemus An=
dredeslege, quod centum & uiginti miliaria in lon=
gitudine, triginta in latitudine continet. Egressi ue=
ro construxerunt castrum apud Apeltre. Hactenus
Venantodunensis. Saxonibus id Apletre est, quod
Latinis malus nota arbor. Et quoniam in mentionem
Andredesvvaldæ, cuius apud Marianum clara est
memoria, incidimus, lubet hic obiter significare
Henricum Venantodunensem Andredescastri ur=
bis, ut ait, olim celeberrimæ, at ab Ealla primo rege
Sudosaxonum funditus euersæ, non sine honoris præ=
fatione magna, primo historiæ suæ libro, meminisse.
Nomen Limeni nostris prorsus incognitum tempo=
ribus. Constat tamen eum fuisse fluuium, quem ho=
die Rotherum uocant. Oritur autem in Argasio mon=
te, non procul ab Aquædunensi saltu, alias Vvater=
don, loco Sudosaxonibus notissimo. Vnde labitur
uicinum in campum, cui nomen indit, uidelicet Ro=
therfelde. Hinc Vicanum, alias Hichingham, petit,
ac Robertinum pontem. De hoc uico recentiores qui=
dam scribunt de nomine nil dubitantes. At mea con=

<L1r>

iectura est Rotheri pontem in Roberti pontem de=
generasse. A ponte Rotherino recta decurrit Bodi=
amum, olim Dalenrigii, postea Leucheniorum ca=
stellum. Deinde Nouiodunum pagum, & Oxinegam,
ubi traiectus, alluit. Postremo Apletream uasto de=
fetur gurgite, ac mox aperto mari se *committit.

*<? r. 'commiscet'>

...

<M2v> <Greenwich>

Placentia, Gallice pleasaunce. Nomen palatio ab
Hunfrido duce Claudiano instaurato a loci amœni=
tate inditum, quod modo periit, resuscitata ueteris

Grenouici memoria. Has ædes Hunfrido mortuo coluit Eadueardus eius appellationis ab imperio Nortomannorum quartus. Cygnus de hac Placencia magnifice personat in mellita sua cantione.

...

<N1v> <Deptford>

Profundum uadum, Angl. Depford, tantum uilla piscatorum paucis ab hinc annis, Henricus Octauus Principum decus omnium Nauale conseruandis, & reficiendis nauibus hic instituit, armamentariumque iuxta posuit, ac nuper splendida etiam ædes Grenouicani famulas excelso erexit fastigio.

...

<N2r> <Queenborough>

Regius burgus Saxonice Cuningburg, corrupte Quinborovv. Castrum hoc situm est in littore, qua Ouisia, alias Shepæga, insula Tamesini, et Vagani fluminis ostia aspicit. Instauratorem Eadueardum Vindelesoranum agnoscit, & Gulielmum Perottum Vicarium postea Simonis episcopum præfectum operis celebrat. Denique & Henricum octauum firmiora iam nactus robora extollit.

...

<P2r> <Greenwich>

Viridis sinus. Saxonice Grenevice. Erat hic locus antiquitus statione nauium celebris potius, quam ullo illustrium ædium titulo. Non nullam sibi olim peperit famam ex castris, quæ Dani in supercilio uicini montis posuere. Huius rei gestæ clara apud Henricum Venantodunensem in Suenone his uerbis mentio est: Turchillus uero similiter iussit dari uictum, &

*<r. 'ædium'>

<P2v>

censum exercitui, qui erat in Grenevice. Possem hic multa et ea clarissima in medium de loci celebritate adferre. At in præsentia hæc suffecerint: quando quidem Cygnus, accurate alias Regiam, quam sublimem habet, suis coloribus omnibus depinxerit.

...

<'The song of the swan' is a Latin poem in hendecasyllabic metre, describing the sights to be seen on a journey down the Thames. It was intended as a trailer for the series of books which Leland hoped to publish about aspects of British history. Alas, he went mad soon afterwards, without completing any of those books. From the explanatory notes appended to this poem, I have extracted the passages relating to places in Kent: many of them will be found alluded to or quoted by subsequent writers. I have simplified the typography in some respects ('æ' for 'e', 'ii' for a special 'ij' character, 'contemnendum' for 'cōtēnēdū', etc.) but retained the use of 'vv' in English names. – C.F. June 2010.>